

referamus, statim apparet, adesse in illis minora *μέμματα* & membra, quæ *επιχειρώς* suprâ delineavimus, accentuum distinctiones secuti. Quales vero rythmi fuerint, secundum quos cantata vel recitata sint illa carmina, nos cum aliis ignorare ingenue profiteamur; tanto quippe temporum decursu & rerum vicissitudiue musica hebraica periit, & uti videtur, non facile restituenda. Quare *in ventum laborabit* (ut loquitur *Cobeleth V, 15.*) qui in his penitus perscrutandis operam ulterius impendet.

## §. VIII.

Infedit contrâ quibusdam opinio, poetas sacros observasse *ὁμοιοτέλευτα* vel rythmos spurios, quales in occidentalium linguarum carminibus studiose conquiruntur. Theodorus Herbertus, *Libro peculiari de Poetica Hebræorum*, & post illum clarissimus Clericus in *Biblioth. Univers. Tom. IX. n. 8. p. 245.* & in *Commentariis suis* frequenter, nec non Biagio Garofalo in *Poesia degli Ebrei e dei Greci p. 21. seqq.* ejusmodi rythmos in carminibus sacris data opera quærunt, & si se non offerant, restituendos esse, & emendandos codices asserunt. Ast vereor, ne concessâ hac sententia, & imprimis illa emendandi licentiâ infinitâ circa rythmos oriturâ sint lites; eo, quod pauca Hebraica vocabula, quæ uti notum, sua natura ad rythmos sunt maxime prona, in diversos facile rythmos abeant. Experientia ipsa hoc comprobavit, carmina enim, quæ Clar. Clericus ad rythmos reduxit, non placuerunt Garofalo, qui rursus alios excogitavit. Videamus jam Canticum Deborahæ, quod Clar. Clericus in *Comment. ad Judic. V. p. m. 92.* ad hos coegit rythmos:

Schimgnû	mlachim
Haasinu	rosenim
Anochi	lajova
Anochi	aschira
Asammer	lajovâ
Elohe	Jisraël

\* \* \*

C

Re-